1405. Ultimis Januar: Ex Orig: Arch: Regni.

Kasimirus Rex Poloniae 140. Marcas Polonicales Magnifico Dobeslao de Cawswanki Palatino Lublinensi in Civitate Krzepicensi, et Oppido Klobuczsko inscribit.

90
89

Kazimirus Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus dux Lithuaniae, Russiae Prussiaeque dominus et haeres etc. Significamus tenore presentium quibus expedit universis. Quomodo intelligentes centum et quadraginta Marcas communis peccuniae et receptibilis, quadraginta et octo grossos Marcam in quamlibet computando, in et super Castro et Civitate nostra Krzepiczensi tenutae suae, nec non Oppido Klobuczko, omnibusque et singulis villis et pertinentiis ad praedictum castrum et Civitatem Krzepiczensem et opidum Klobuczko ex antiquo spectantibus et pertinentibus inscripsimus et demonstravimus, inscribimusque et demonstramus tenore praesentium mediante per ipsum Dobeslaum et successores suos, cum omnibus et singulis, censibus, fructibus, redditibus et obventionibus universis juxta tenorem et continentiam praemissarum literarum nostrarum, super ipsa bona tenutae suae datarum et concessarum, tenendum, habendum, et possidendum

pacifice

pacifice et quiete tamdiu, quousque centum et quadraginta marcæ communis pecuniæ Præfato Dobeslao et Successoribus suis per nos vel successores nostros cum aliis summis per præsentes, ut, per ipsis bonis inscriptis fuerint integraliter persolutæ, quibus solutis, bonorum ipsorum possessio ad nos, et successores nostros converti debet pleno jure juribus nostris semper salvis. Harum quibus sigillum nostrum præsentibus est subappensum testimonio literarum. Datum in Conventione Novæ Civitatis Corczin feria secunda ante festum Sancti Pauli Apostoli Conversionis, Anno domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto.

Creslaus Cancellarius.

Relatio Venerabilis Creslai de Curoswanki Regni Poloniæ Cancellarii.

Ta Kopia przepisana z Oryginału pargaminowego annihilowanego bez pieczęci. Roku 1785. d. 23. Februarii.